

§. 22. Nonnulli (10) λατρείαν λογικὴν credunt idem esse ac λατρείαν πνευματικὴν, juxta 1. Petr. II. 5. ubi Petrus hortatur, ut tanquam *Sacerdotium Sanctum*, offerant πνευματικὰς θυσίας *spirituales hostias*. Putant proinde, Petrum explicasse, quid Paulus h. l. voluerit. Ita Chrysof. ad h. l. *Quid verò est cultus rationalis? spiritualis Servitus, ratio vivendi juxta Christum instituta: & cum explicasset, quâ ratione vita sit instituenda, subdit; Hac faciens, cultum rationalem offers, h. e. nihil habentem corporei, nihil crassi, nihil quod sit sensibile*. Sequuntur Estius, Beza & Gomarus ad h. l. ex Socinianis Crellius, qui in oppositione ad τὸ *carnale λογικὴν* accipi docet scribens p. 173. *Cultum hominum Christianorum rationalem videtur opponere carnali potius quàm irrationali & c. quocirca hæc vox (rationale) eandem videtur habere vim, quam vox spiritualis*.

§. 23. Coniungunt tandem aliqui interpretationem §. preced. traditam, quòd cultus rationalis idem sit ac *spiritualis*, cum illa, quam tetigimus §. 21. quod vox λογικὴ descendat à λόγῳ, *ratione* sc. divinitus illustrata, ac sit cultus secundùm mentem regeneratam, & ad agnitionem DEI pleniorē perductam. Ita Vinarienses in Glossa: *Welches (Opffer) sey euer vernünfftiger Gottesdienst / (ein solcher Gottesdienst) welcher aus einem durch den Heil. Geist erleuchtetem und bewohnetem Herzen herrühret / und nicht in äusserlichen Levitischen Ceremonien bestehet / sondern im Geist und der Wahrheit verrichtet wird.*) Plures interpretationes coniungit Theophylactus ad h. l. scribens, hunc esse *rationalem cultum*, quando nimirum nullus irrationalis affectus in nobis regnet, sed ratio, imò verbum Dei potius omnia gubernet, sicque tanquam Pontifex quisque sui ipsius factus fuerit, interiorē malitiā jugulans, ac nunquam non membra sua DEO exhibere studens, in omni cùm opere, tum verbo ita horrens, quasi